



**Tractatvs De Præventionē Ivdiciali [!], Sev De
Contentione Ivrisdictionvm**

Tonduti, Pierre François de

Lvgdvni, M.DC.LXXIII.

Capvt XXVII. De Præuentione per Monitoria Ecclesiastica concessa ad fines
obtinendi reuelationes testium, vel restitutionem rerum ablatarum. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98370](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98370)

Ratio autem præcipua est, quia cum iuxta dispositionem Statuti, vota Assessorum non solum sint consultiua, sed etiam deliberatiua, adeo ut Iudex teneatur sequi vota duorum Assessorum, si sint concordantes; statim remisso voto ius fuit questum partibus eodem modo quo si lata fuisset sententia per vnum ex pluribus Iudicibus seu Commissariis, vt notauit Tapia decif. Sicilia 12. num. 24. vbi considerat illam differentiam inter vota consultiua & deliberatiua. Et ideo si ageretur de Assessores sumptis per Iudicem ex officio, qui secundum statutum & de iure communi habent solum votum consultiuium, aut si lis esset mota in locis vbi Assessores non habent votum deliberatiuum, possent illud ante Iudicis sententiam mutare, quia per voti remissionem non esset alicui ius questum iuxta præfatam Tapie distinctionem.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTVM.

De Præuentione per Monitoria Ecclesiastica concessa ad fines obrinendi reuelationes testium, vel restitutionem rerum ablatarum. Ostenditur ex huiusmodi litteris monitorialibus nullam oriri præuentionem. Declaratur an & quomodo præuenta lite principali coram Iudice laico, procedi possit coram Ecclesiastico in specie ad declarationem censurarum, contra non reuelantes, aut falsum reuelantes vel non restituentes. Et vtrum in præiudicium præuentionis possit procedi coram eodem, vel diuerso Iudice, ad remedium declarationis censurarum in specie. Et multa tractantur circa Monitoria, & reuelationes testium. Maxime ad interpretationem, Statuti Auenionensis sub titulo De Monitoriis. Et vtrum oppositio vnus, retardet publicationem monitorij quoad alios. Quæ sit praxis Monitorialium in Gallia: & vtrum Conseruatores illas concedere possint.

SVMMARIVM.

- 1 Referuntur Doctores de materia Literarum monitorialium tractantes.
- 2 Ex litteris monitorialibus nulla oritur præuentionio.
- 3 Monitoria sunt actus mere extraiudiciales, & ex illis nullum oritur attentatum.
- 4 Monitoria ante litem, vel lite pendente, concedi possunt.
- 5 Qui se opponit monitorio, habet contra se suspensionem mali iuris.
- 6 Quomodo verum sit, monitorium esse actum extraiudicialem.
- 7 Causa monitorij est omnino separata à causa negotij principalis, & qualibet debet currere suo Marte.
- 8 Lite pendente super negotio principali, non potest procedi ad declarationem censurarum coram Iudice Ecclesiastico contra rem indebitè detinentem.

Sanlegerius de Præuent. Iudic.

tem, in specie, sed solum generaliter contra omnes.

- 9 Lite pendente in causa principali non potest procedi contra testes non reuelantes ad declarationem censurarum coram Iudice Ecclesiastico, sed solum generaliter contra non reuelantes.
- 10 Contra testem falsum, falsum reuelantem, potest procedi criminaliter, ad poenam falsi coram Iudice Ecclesiastico, non tamen in præiudicium causæ præuenta in tribunali Curia secularis.
- 11 An liceat variare in præiudicium præuentionis, & recurrere ad remedium declarationis censurarum, in specie.
- 12 Variatio & recursus ad censuras, fieri potest ab eodem Iudice ad eundem Iudicem Ecclesiasticum.
- 13 Declarans se possidere in isto titulo res contentas in monitorio, ab illo eximendus est, & reus ad Iudicem laicum competentem remittendus.
- 14 Testis declarans se esse promptum dicere veritatem quando iudicialiter producet, eximendus est à monitorio.
- 15 Explicatur statutum Auenionense libro secundo Rubric. 33. d. Monitoriis, in causis arduis reuelantes possunt cogi respondere cum interrogatoriis, ibidem.
- 16 Iudex Ecclesiasticus lite nondum capta, & causâ nondum præuenta per Iudicem laicum, potest procedere ad declarationem censurarum contra non reuelantes & non restituentes, & numero 19.
- 17 Laicus efficitur de foro Iudicis Ecclesiastici ratione peccati.
- 18 Testes qui reuelantur vigore monitorij, debent formaliter repeti coram Iudice Ecclesiastico, dum vult procedere ad declarationem censurarum contra certam personam.
- 19 Refertur praxis quarundam curiarum in hac materia.
- 20 Iudex Ecclesiasticus non sufficit quod præuenerit per concessionem monitorij, sed debet præuenerisse per processum declarationis specialis censurarum, alias præualebit processus Iudicis laici.
- 21 Monitoria & excommunicationes non conceduntur nisi in subsidium.
- 22 Non deuenitur ad denunciationem Ecclesiasticam, pro re iam in Iudicium deducta & negata.
- 23 Oppositio vnus aduersus monitorium, facit ut superfeedatur quoad omnes, si opponens deducat exceptionem realem, secus si personalem.
- 24 Explicatur Decisio Rotæ Auenionensis, 168. Quæ sit praxis literarum monitorialium in Gallia.

Conseruatores vel Vicarij Episcoporum vtrum possint decernere monitoria, & quid de vicario Capituli sede vacante.



ON tractamus hic de monitoriis nisi quoad effectum præuentionis. Qui enim plura de his scire desiderabit, adeat integrum de illis tractatum Lazarij, necnon Riccium in Praxi Rerum fori Ecclesiastici, à decif. 267. ad 282. Et in suis decif. decif. 219. te prima, & 69. part. 2. Collam. de remed. subsidiar. remed. 14. Anton. Fab. lib. 4. Cod. tit. 14. de probation. definit. 49. & 54. Et libro 7. tit. 18. de appellat. definit. 22. Sol. in consil. antiqu. Sabaud. tit. vi. nemo iniurius, gloss. vnic. numer. 6. & sequentibus. Giurb. decif. 94. Syluam. Nuptial. lib. 3. num. 30. & sequentibus. Praxim Archiep. Neapol. cap. 1. Barbof. de potestate Episc. part. 3.

part. 3. allegat. 96. Imbert. Rupell. in praxi Gallica libro primo cap. 62. Guazzin. de defenſ. reor. defenſ. 18. cap. 1. cum aliis per eos citatis.

Deueniendo itaque ad materiam tractatus nostri
 2 † dicimus ex huiusmodi literis monitorialibus nullam oriri præuentionem iudicis Ecclesiastici, vel eius Curie, contra alium iudicem causæ principalis eiusve tribunal. Et vicissim ex præuentione causæ & negotij principalis, nullum fieri præiudicium seu impedimentum impetrationi, vel cursui monitorialium.

3 Probatur conclusio, quia monitoria ista sunt actus merè extraiudiciales, & per consequens tales vt ex iis præuentionem aliqua oriri non possit, nec attentatum dici in præiudicium causæ pendens, cum non tendat ad impediendam, sed ad coadiuuandam causam & probationes detegendas, ita determinat Mar. Antonin. lib. 1. vari. resolu. cap. vlt. cas. 36. quem citat & sequitur Lassar. de Monitor. sect. 4. quest. 1. num. 19.

4 Vnde quotidie videmus in praxi literas monitoriales tam ante litem, quam lite pendente concedi, prout & in Curia Gratiopolitana ita se vidisse obseruari testatur Crauer. conf. 181. num. 5. dicens

5 hoc esse fundatum in æquitate: † quia is qui se opponit monitorio, habet suspicionem contra se. Nam tuto in conscientia, quorsum attinet se opponere, ne currat monitorium? Ita etiam concludit Lassar. in dict. tractat. de Monitor. sect. 1. question. 18. num. 9. & 10.

6 Sed tamen hæc non sunt veræ rationes, nam quod monitorium sit actus extraiudicialis, verum quidem est dum obtinetur & publicatur nemine opponente. Sed dum adest oppositio, certum est in ea procedi coram iudice Ecclesiastico per modum contentiosæ iurisdictionis, & iudicialiter. Vera igitur ratio huius conclusionis est illa, quæ petitur ex eo quod † Causa monitorij, & causa principalis,

7 sunt duæ causæ separatae, & coram duobus iudicibus diuersis tractantur, & ideo quælibet currit suo Marte, nec causa principalis impeditur per causam monitorij, nec è contra. Nam vt aliàs diximus c. 10. n. 17. Litis pendens & præuentionis exceptio, locum non habet in causis particularibus separatis & diuersis.

8 Aduertendum nihilominus est, præmissa locum habere, quando agitur de impetratione & cursu monitorialium. Aliud tamen est si, publicato monitorio, & subsequatâ excommunicatione, impetrans velit agere contra eum quem existimat rem suam iniuste detinere, & per testium qui reuelant depositiones esse conuictum: & petere eum incidisse in censuras Ecclesiasticas. Tunc enim de præuentione agendum est. Nam si iudex alius, seu laicus, seu Ecclesiasticus, à quo non emanarunt literæ monitoriales, cœperit procedere in causa & negotio principali, obstat agere volenti coram iudice Ecclesiastico exceptio litis pendens, seu præuentionis causæ. Per regulam l. ubi captum, ff. de iudic. & l. nulli C. eodem tit. Non enim debet iudex Ecclesiasticus sub prætextu causæ incidentis trahere ad se totam causam principalem, sed eam debet remittere ad Curiam vbi præuenta est, cap. lator. vbi Panorm. & alij. Qui fil. sint legitimi.

9 Idemque dicendum est de eo qui non reuelauit, cum tamen ex aliorum testimonij reuelationibus constare possit, eum aliquid scuisse de contentis in monitorio. Nam contra hunc non reuelantem non possit iudex Ecclesiasticus lite pendente procedere ad excommunicationem. Lassar. de Monitorio, sect. 4. q. 8. num. 13.

Similiter licet contra testem, qui falsam reuelationem fecit, procedi possit coram iudice Ecclesiastico, adeo vt quidam falsum reuelans condemnatus fuerit ad poenam fustigij in Curia Neapolitana Archiepiscopali, vt per Prax. Archiep. Neapolit. de c. 1. n. 16. versic. est etiam mente tenendum: Tamen hoc non existimo fieri posse nisi lite principali finita, quia rationes allegatæ, apud Lazar. d. q. 8. n. 15. & per Syluam Nupt. d. lib. 3. n. 60. militantes etiam in casu isto: fieri enim posset præiudicium causæ principali coram iudice laico præuentione, maximè quia omnes reuelantes essent formiter examinandi, & repetendi, coram iudice Ecclesiastico. Vt fatetur dicta Prax. Archiep. Laz. ar. & Sylua Nuptialis. Quod fieri non potest in præiudicium iudicis laici qui præuenit.

Non obstant tradita, per Guid. Pap. quest. 105. n. 3. vbi dicit fuisse licitum actori, derelicta actione in factum, per eum intentata coram Officiali Gratianopolitano pro quodam delicto, redire ad litteras excommunicatorias & monitorias, & facere eas exequi in bonis debitoris excommunicati, attempta renuntiatione causæ prædictæ per eum facta. Quia quando competunt duo remedia, vnum videlicet ordinarium, & aliud extraordinarium, licitum est primo intentato ordinario recurrere ad extraordinarium, si per istud pinguius parti provideatur, vt concludit Cyn. in l. etiam in 4. opposit. Cod. si tutor vel Curat. interuenerit.

Quia in casu Guid. agebatur de eodem iudice Ecclesiastico, coram quo actio in factum fuerat intentata, nec fiebat præiudicium alteri iudici, nec causa transferrebat a iudice laico ad tribunal Ecclesiasticum: secus est quado causa fuit cœpta coram iudice laico, & in præiudicium iurisdictionis & præuentionis, causa traheretur ad Curiam Ecclesiasticam, quod fieri non debet. Iuxta tradita per nos supra in c. 6. de renuntiatio. litis. n. 9. & seqq. atque ita respondet Neuzan. in Sylud. nupt. lib. 3. n. 60.

Si autem lis nondum cœpta fuisset coram iudice Curie laicalis, tunc duo casus sunt considerandi. Primus est, quando aliquis compareret coram iudice Ecclesiastico, de cuius mandato proceditur ad publicationem monitorij, & dicit se habere & possidere bona vel res contentas, & designatas in monitorio, seque illas iusto titulo possidere: & hoc casu non obstante præuentione facta per viam talis monitorij, remittendus est ad iudicem suum competentem etiam laicum, nec de negotio principali cognoscere potest iudex Ecclesiasticus monitorium concedens, Abb. in cap. nouit. num. 53 de iudic. post quem & plures alios sit tenuit Lazar. d. tract. sect. 3. quest. 1. num. 4.

Idemque locum habet, quando quis non detinet res in monitorio designatas, sed scit aliquid de contentis in eo: nam si adeat iudicem qui monitorium concessit, & coram eo declarat se aliquid scire de contentis in eo, & promptum esse iudicialiter coram iudice causæ principalis deponere, & dicere veritatem; eximendus est à monitorio, & remittendus ad iudicem causæ principalis qui præuenit in illius cognitione, secundum dispositionem Statuti Auenionensis. lib. 2. rub. 33.

Circa cuius statuti interpretationem mota fuit aliàs difficultas ex eo quod ibi dicitur, eum qui parere vult monitorio pro rebus occultis concessis, debere coram iudice concedente declarare se de contentis in monitorio tale quid scire, quod offerat separatim testificari coram iudice, qui eum ad testificandum vocabit: quo facto, sit ab eodem monitorio exemptus. Verba enim illa, tale quid scire, non hoc videntur inferre, vt quis generaliter declarare debeat

se aliquid scire de contentis in monitorio, sed potius quod debeat declarare in specie, *tale quid scire*, id est res certas & specificas, *legalis scriptura*, ff. de leg. 1. cum similibus.

Et sane si rigorem verborum, potius quam mentem statuentium consideremus, dicendum erit non fuisse satisfactum statuto nisi facta speciali reuelatione, & designatione eorum quæ ad eius noticiam deueniunt; Sed si mentem attendamus, contrarium erit dicendum; nam intentio statuti illa fuit, vt obuiaretur fraudibus, quæ passim fiebant circa huiusmodi reuelationes. Remittebantur enim originaliter ipsi parti, quæ testes in sui fauorem reuelantes eligebat, ceteros dimittebat, & occultabat, & dabatur occasio subornationis testium. Ad quæ inconuenientia euitanda, dicunt DD. quod in causis arduis non debent recipi tales reuelationes, nisi cum interrogatoriis partis, vt concludit Lazar. de Monit. sess. 2. q. 3. num. 4. Praxis Archiepisc. Neap. cap. 1. num. 6. versic. seruatur tamen.

Sed melius prouisum fuit per statutum Auenionen. quod sufficit declarare se aliquid scire de contentis in monitorio, cuius intentioni non satisficeret, si quis teneretur omnia quæ scit declarare. Alio qui statuti dispositio redderetur inutilis. Atque ita statutum illud interpretata est Rota Auen. apud D. à Laurent. decis. 136. Et sic etiam ordinari in Patria Pedemont. testatur Sol. in consil. Sabaud. tit. de tribunal. compet. gloss. 4. n. 1.

16 Secundus casus est, quando nec reus aut possessor aliquis comparere vel testis, & tamen vel reus iniussit res in monitorio designatas detinet, vel testis scit contentorum in monitorio veritatem, & hoc casu lite nondum capta coram iudice rei competente, potest procedi coram iudice Ecclesiastico ad declarationem censurarum, & tunc iudex Ecclesiasticus declarabit; Tunc v. g. incurrisse censuras in genere, in monitorio contentas, præcipiendo ei in specie sub poena excommunicationis, vt talem rem restituat, & exeat de peccato. Vel melius, concludi poterit in libello, solummodo quod cogatur ad penitentiam, nullam mentionem faciendo de restitutione rei. Nam idem sequeretur effectus, & lis erit breuior, cum penitere non possit nisi simul rem restituat, vel parti læsæ satisfaciatur, vt copiosius explicat Neuif. d. lib. 3. num. 57. maxime in versic. nibileminus.

17 Et hoc casu laicus efficitur de foro iudicis Ecclesiastici ratione peccati, cuius cognitio ad laicum spectare non potest. Gratian. discept. forens. 154. numero 25. text. & DD. in cap. nouit. 13. de iudic.

18 Sed vt iam dictum est, repetendi sunt formiter in hoc iudicio testes coram iudice Ecclesiastico, aliis fidem non facerent. Neuifan. dicto numero 57. Quod tamen in praxi non seruari in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Praxis Archiepisc. d. cap. 1. n. 17.

19 Et quamvis apud nonnullos fuerit etiam de huius praxis validitate dubitatum, tamen eam multis rationibus comprobat, & magis veram & piam dicit Mar. Anton. libro 1. resolut. vltim. vltimo casu. Vbi responder ad contraria & de hoc adest decisio: Rotæ 383. num. 1. par. 1. diuersor. Sequitur Barbof. de Episcop. parte 3. allegat. 96. n. 44.

20 Sed queritur quid iuris, si monitorium fuerit à iudice Ecclesiastico concessum & publicatum, immo & declaratum, ac publicè fulminatum excommunicatio; sed iudex laicus, antequam ageretur coram iudice Ecclesiastico ad declarationem censurarum contra non restituentes, vel non reuelantes, præuenerit

per citationem contra assertum iniustum detentorem, vtum præuentio ista impediatur quominus iudex Ecclesiasticus procedat in causa specificæ declarationis censurarum? hanc questionem non reperio sic in indiuiduo tractatam. Sed tamen concludendum est præuallere præuentioem iudicis laici.

Primo quia ex Concil. Trident. sess. 25. de reformatione. cap. 3. non potest deueniri ad istud remedium declarationis excommunicationis, nisi in subsidium; quando aliter consultum parti esse non potest. At hic præsupponimus partem suam actionem iam coram iudice laico intentasse.

Præterea quia sequeretur, diuersas & omnino contrarias sententias in eodem negotio ferri posse. Quia vnus iudex absolutoriam, alter condemnatoriam sententiam proferre posset, & causæ contentia diuideretur, testesque coram vtroque iudice formiter examinarentur, magnæque sequeretur iudiciorum confusio & perturbatio. Cumque iste modus procedendi coram iudice Ecclesiastico nuncupetur. Denunciatio iudicialis priuata, non poterit ad eam deueniri pro re iam in iudicium deducta & negata, vt dicit Abb. in d. cap. nouit. de iudic. n. 53. Et fatetur Anton. dicto casu vlt. in fine, versic. tum quia ex simplici negatione.

Vltimo loco notandum est, quod si aduersus monitorium aliquis se opposuerit, & ad oppositionem admissus fuerit, dubitatum alias fuit vtum oppositio illius faciat, vt supersedeatur in publicatione monitorij quoad omnes alios; In qua dubitatione fuit resolutum per Rotam Auenionensem decis. 168. Quod si vnus fuerit admissus ad oppositionem aduersus monitorium, supersederi debet in illius publicatione, tam quoad illum, quam quoad alios omnes. Sed ego distinguendum esse existimo, nam aut ille qui se opponit aduersus monitorium: opponit exceptionem aliquam personalem, veluti si dicat se non teneri reuelare, quia est consanguineus, vel quia est Aduocatus partis, vel illius consilium, de quibus Giurb. decis. 94. n. 15. & seqq. & hoc casu si pars quæ monitorium impetrauit declarat se consentire, vt talis se opponens eximatur à monitorio, hoc casu si nullus alius se opponat, procedetur ad publicationem monitorij contra omnes alios. Quia illa exceptio non fuit opposita ad impugnandum totum monitorium, sed tantum ad certum particularem effectum, nempe ad hoc vt ille, qui se opponit, eximatur à monitorio, & ita exceptio illa opposita ad certum effectum non debet ad alium extendi: Rot. dec. 256. n. 3. p. 2. recent. & cum sint diuersæ personæ, & diuersa iura ac omnino separata, non potest propter ius distinctum, & nullo modo connexum supersederi, quoad alios in publicatione monitorij, & in effectu hoc voluit, Rot. d. decis. 168. maxime n. 9.

Aur vero oppositio fundata est in aliqua exceptione, quæ totum ipsum monitorium respiciat potius quam personam, veluti si fuerit oppositum, monitorium continere diffamationem, vel agi de rebus notoriis, de quibus constat per instrumenta publica, quo casu monitoria non conceduntur, tunc oppositio vnus facit, vt supersedeatur quoad omnes. Et in his terminis huius posterioris casus loquitur & procedit dicta decis. 168.

Notandum autem est, prædictam praxim non habere locum in Gallia, vbi modus procedendi est valde diuersus, nec iudices Ecclesiastici de præuentione cum Iudicibus laicis regulariter contendere solent in causis monitoriorum. Primum enim in Gallia, monitiones ipsas atque censuras, communis seu

obseruantia, seu corruptela, de Ecclesiastica disciplina in ciuile forum traduxit, & promiscuo vsu neruos eius corrumpit, vt dicit Argentr. in consuetud. Britann. artic. 6. not. 2. num. 1. Et quod plus est, semel mota lite, non nisi Iudicis ciuilibus, apud quem lis pendet, licentia concessa monitorium obtineri potest. Quod de illis litteris intelligendum est, quæ in forma malefactorum nuncupantur. Quæ enim ad restituendas res pertinent, aduersus laicos minimè conceduntur. Et si quis aduersus istarum literarum executionem se opponit, iudicem laicum ad eundem volunt: vt ibidem Argentr. num. 2. obseruat. Quæ omnia sunt contra dispositionem Sacri Concilij Tridentini. sess. 21. de reformat. cap. 3. quo cautur, vt similes excommunicationes & monitiones à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur. Quamquam de iure, etiam Legatus monitoria concedere possit; vt probat Lazar. de Monitor. sess. 1. quest. quinta, num. 2. Potest etiam de iure monitiones istas concedere Vicarius Capituli, Sede Vacante, vt Sac. Cardinalium Congregatio declarauit die 14. Augusti, 1586. teste Lazar. in d. tract. de monitor. q. 7. num. 1. Sbrozz. de Vicar. Episc. lib. 2. quest. 171. n. 5. A Vicario autem Generali monitoria concedi non possunt, nisi ad id speciale ab Episcopo habeat facultatem, Sbrozz. ibid. num. 6. Conseruatores autem Iudices monitoria concedere non possunt, nisi inter sibi subditos, censuit Chopin. de Sacra Polit. lib. 2. cap. 5. num. 12. vbi etiam asserit inter ipsos quoque priuilegiatos, non principaliter, sed incidenter ab huiusmodi Conseruatoribus monitoria concedi posse, quod Gallicorum Tribunalium præiudiciis confirmat.

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTVM.

De Præuentione in causis militaribus, quando Miles est actor vel reus, descriptus in matricula, vel non descriptus; existens in actu expeditionis, vel ad eam paratus; prorogans iurisdictionem Iudicis non militaris; negotiationem exercens, aut in aliena prouincia existens. Quæ dicantur delicta militaria. De delictis militaribus commissis in mari, vel in terra firma, in loco tamen destinato ad exercendam iusticiam maritimam. De præuentione inter Magistrum Militum, & Præfectum Generalissimum, & inter audientiam generalem Exercitus, & Capitaneum Generalem trirerum. De delictis commissis in loco custodiæ vulgo, Corps de garde. De delictis commissis inter militem & militem, & inter militem & non militem. De remissione delinquentis ad locum delicti. Vtrum Miles, Scholasticus, vel Magistratus temporalis, gaudeant fori priuilegio pro licibus antea captis. De eo qui miles factus fuit in fraudem. Et exceptio temporalis superueniens licet pendente an & quando suffragetur. Mi-

les non opponendo suum priuilegium sibi præiudicat. Quid dicendum sit de milite falsum deponente coram Iudice non militari. De Pœna militis, seu Capitanei, cui custodia fortalitij demandata fuit, & illud culposè inimicis capiendum reliquit. Et ad quem iudicem illius causæ cognitio spectet.

SVMMARIVM.

- 1 Non datur præuentione favore militis actoris contra reum non militem.
- 2 Miles reus coram iudice militari in causis ciuilibus conueniendus est.
- 3 Milites non gaudent priuilegio fori nisi sint actu milites & descripti in matricula.
- 4 Matricula sine exercitio nullum dat priuilegium.
- 5 Miles potest prorogare iurisdictionem iudicis non militaris, quia priuilegium illi datur non ratione dignitatis, sed ratione exercitij; vt supra, numero 4.
- 6 Miles efficitur eius loci in quo meretur stipendia, & num. 23.
- 7 Vtrum Iudex non militaris possit procedere contra militem in suo tribunali falsum deponentem. Quid si miles aut priuilegiatus exceptionem suam declinatoriam non proposuerit.
- 8 Milites licet non sint in actu expeditionis, si tamen sint semper parati cum armis & equis vt seruiant in bello, gaudent priuilegio fori.
- 9 Iudex non militaris potest carcerare militem, animo illum remittendi ad suum iudicem.
- 10 Milites negotiatores non gaudent priuilegio fori, in rebus concernentibus negotiationem.
- 11 Milites negotiatores debent conueniri coram iudicibus illius artis quam exercent.
- 12 De Conseruatoribus nundinarum Lugdunensium. Remissio.
- 13 Iudex militaris solus iudicat super delictis militaribus.
- 14 Quid sit procedere more militari.
- 15 Præuentione non datur contra iudicem milita, quamuis miles repertus fuerit in prouincia.
- 16 Milites alterius prouincie remittendi sunt ad locum delicti.
- 17 Delicta militaria dicuntur quæ à milite tanquam milite committuntur.
- 18 Delictorum militarium exempla plurima asseruntur.
- 19 In Gallia iurisdictione iudicum militarium valde mutila est. Qui habet Castrum custodiam, & illud cum culpa permisti cap. ab aduersariis, quæ pena puniendus sit & ad quem spectet cognitio.
- 20 Acta facta coram iudice non militari circa delicta militaria nullam fidem faciunt.
- 21 Milites qui parati sunt ad recedendum & proxime sunt iuri ad exercitum, habentur pro actu militantibus, & gaudent priuilegio fori.
- 22 Iurisdictione militaris locum habet etiam in expeditione maritima.
- 23 Rex debet purgare à malis hominibus mare adiacens regno suo.
- 24 Qui militia nomen dederunt sortiuntur forum in loco ubi stipendia recipiunt, & num. 6.
- 25 Statutum loquens de forensibus non comprehendit milites stipendiatos.